

» fuerunt et occupantur, praemissaque facinora contra hanc san-  
 » ctam sedem, clerum et ecclesiasticam libertatem commissa fue-  
 » runt, excommunicatos et anathematizatos fuisse et esse, prout ex  
 » praedictis processibus qui per singulos annos publice promul-  
 » gantur in die Coenae Domini ex more praedecessorum nostro-  
 » rum romanorum pontificum omnibus innotescit, et propterea  
 » aliud nobis nihil agendum restaret, nisi ut eosdem tamquam  
 » ethnicos et publicanos a grege fidelium ejiceremus et tamquam  
 » scabiosas oves a caulis nostris repelleremus, ne totam domum,  
 » massam et corpus ardere, putrescere et interire eorum conta-  
 » gione contingat : tamen cum illius licet non nostris meritis vices  
 » geramus, cuius misericordiae mensuram erga poenitentes et ad  
 » cor redeuntes, metiri non possumus, gaudetque super uno pec-  
 » catore poenitentiam agente: non duximus omittendum, quin  
 » denuo paterna charitate cum censurarum, ut res ipsa postulat,  
 » appositione illos per praesentes apostolica auctoritate hortemur,  
 » requiramus et admoneamus ad auctoritatis hujus sanctae sedis  
 » et libertatis ecclesiasticae recognitionem, nec non ad rerum et  
 » dominiorum ad nos et Romanam ecclesiam spectantium per eos  
 » occupatorum integrum restitutionem. Praefatos itaque Leonar-  
 » dum Lauredanum ducem et rogatorum ac generalis consilii nun-  
 » cupatorum consiliarios ac commune Venetiarum, omnesque sin-  
 » gulosis patritios et cives dicti communis Venetiarum, provisores,  
 » potestates, commissarios et officiales eorumdem tam in dicta ci-  
 » vitate Venetiarum, quam in praefatis nostris civitatibus ab illis  
 » occupatis, quorum nomina, cognomina, qualitates et dignitates  
 » hic pro expressis habemus eorumque complices, adhaerentes et  
 » fautores cujuscumque status, gradus et praeminentiae existant  
 » et quacumque dignitate etiam regali, patriarchali, archiepiscopa-  
 » li, episcopali vel alias quavis ecclesiastica vel mundana dignitate  
 » praefulgeant, auctoritate nobis a Deo omnipotente concessa et de  
 » nostra plenitudine potestatis per praesentes in Domino requiri-  
 » mus et monemus et cuilibet eorum tenore praesentium per haec